erit expectatio gentium. Potest secundum cassiodorum olla hec tribulationem designare. quia sicut in hoc mundo velud in olla coquitur atque probantur. quia spes aeternorum premiorum operatur in sanctis. apostolo dicente. Scientes quod tribulatio patientiam operatur. patientia probationem. probatio vero spem. In idumeam extendam calciamentum meum. Vox christi suam incarnationem per mittentis aecclesie. Idumea que sanguinea terrena interpretatur. gentilitatem designat. peccatis et idolatria cruentatam et tantum terrena sapientem. Calciamenta quae ex mortuis animalibus fiunt. carnem christi designant. quam ex patribus induit. et quasi calciatus ad nos venit. In idumeam quoque calciamentum suum extendit. quia misterium incarnationis sue per apostolos in gentibus adnuntiari fecit. Mihi alienigene subditi sunt. Alienigene quae hebraice allofili dicuntur. gentium populos innuunt alienos. Alienos quidem a deo. sed cognita veritate. christo devote colla summiserunt. Quis deducet me in civitatem munitam. quis d. m. u. i. i. Vox aecclesie cum iam se videret dilatari et per totum diffundi mundum. Civitas munita mundus accipitur. munitus ut putabat theologis philosophorum. Non rogat quoque aecclesia. quis eam deducat in mundum ut eius munimina hoc est errores quos insuperabiles putabant abiciat. Quis deducet me in idumeam. id est in gentilitatem. ut ipsi quoque populi me amplectantur. qui adhuc constat sanguineis et terrenis operibus delectari. Et certa de adiutorio dei subiungit. Nonne tu deus qui repulisti nos. Tu inquit. et nullus alius. qui nos ab erroribus reiexisti ut ad veritatis tramitem revocares. Et non egredieris in virtutibus nostris. Quia enim certi sumus inquit de spe future nobis glorie. tamen non egredieris. hoc est non appares non manifestaris in virtutibus nostris. sed exponimus angustiis et tribulationibus. estimantibus adversariis nostris quod non nudeas. Aut non succurrere nobis in laboribus constitutis. Si quis civitatem munitam supernam hierusalem intellegunt. quae munita est. ita ut nulla malorum persecutione quatiatur. Nulli hoc adiuba ipsi salvatoris refertur. qui passurus pro humano genere et descensurus ad infernum dicebat. Quis deducet me in civitatem munitam. Civitas munita infernus vocatur. quia quos semel cepit tenet. nullus ei quoque est evadendi aditus. Hoc significabat gaza civitas. quae robusta et munita interpretatur. in qua iudei se Sanson id est christum deprehendisse gloriabantur. Requirit quoque dominus quis cum eo descensurus esset ad infernum. Talem quem per Esaiam dicit. Circumspexi et non erat auxiliator. quaesivi et non fuit qui adiuvaret. Quis inquit deducet me usque in idumeam. subaudite nullus. nisi tu solus deus. In passione enim non reliquit. sed cum eo in idumea id est in gentilitate peccatis infecta simul in passione permansit. Deus enim ait apostolus erat in christo mundum reconcilians sibi. Da nobis auxilium de tribulatione. quia vana salus hominis. De tribulatione in qua nos putabaris deserere. Inde nobis da auxilium. ut tanto magis consolemur. de plenissima retributione. quanto hic amplius pro eius fuerimus nomine afflicti. Sequitur. Vana salus hominis. hoc est. qui ad hominem sperat. Quoniam non potest salutem praestare qui indigus est salutis. Hinc hieremias propheta. Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine. et ponit carnem brachium suum. In deo faciemus virtutem. Omnis virtus virtutum omnis recta operatio non ex ipsis sed ex dei gratia est. Contra diabolum non gladio et iaculo certandum est. sed ipsis armis id est virtutibus quibus christo pugnavit. ut superbiam humilitas. avaritiam largitas. iram mansuetudo prosternat. Sequitur. Et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. Hoc tunc implebitur. cum omnes reprobi qui nunc aecclesiam probris et odiis persecuntur. in iudicio dampnabuntur. Et quia quod sub uno fidei una est in omnibus gentibus. cuius caput iam est in caelo. corpus peregrinatur in terra.

In finem significare dominum salvatorem nullus ignorat. cum hoc iam frequenti expositione claruerit. In hymnis grecum vocabulum est. interpretatur in laudibus. quia totus psalmus christi preconia personat. David autem eundem ipsum significat dominum salvatorem. Cuius laudem decantat populus christianus. qui in toto orbe diffusus est. Exaudi deus deprecationem meam. Vox est universalis aecclesie. Exaudi inquit deus deprecationem meam intende orationi meae. Cassiodorus facit differentiam inter deprecationem et orationem. Deprecationem dicens esse assiduam et communem supplicationem. quae ab omnibus saepe offertur. hanc postulat exaudiri. Orationem dicit vero. quae tantum summe trinitati persolvitur. Quam petit intendi. quia eam purissimam divinis conspectibus offerebat. A finibus terrae ad te clamavi. Iustorum congregatio dispersa terrarum sancti clamat a finibus terrae id est ab omnibus mundi partibus. Nec solum ab extremitatibus. sed et a mediterraneis finibus et remotis insulis clamat aecclesia. quia angitur cor eius. dum devotissimis affligitur temptationibus. sed non relinquitur. quia super petram stabilita est. id est super christum. Unde sequitur. In petra exaltasti me. Haec est merces clamoris. quia dum clamat exaltatur. Super petram hoc est. spe inconfusibili super christum fundatur. cui dum inheserit nullis frangitur adversis. hinc apostolus. Quis nos separabit a caritate christi. Et quasi inculcans atque exponens quid sit in petra exaltasti me. subiungit. Deduxisti me quia factus es spes mea. Ipse enim christus est petra. ipse turris fortitudinis. hoc est. et certa spes ac salutis refugium. ipse nos exaltat super petram. ipse deducet ad fortitudinis turrim. Deducit quasi dux in se. et per se ducit. quasi via ad se perducit. quia ipse est patria. Sed sciendum quia quod est haec petra. hoc est turris. exemplum et patientia passionis christi. Cum enim sancti affliguntur. cogitant quia pro illis idem passus est.